5

TENTAMEN MEDICUM INAUGURALE,

DE

RHEUMATISMO ACUTO:

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,

Et Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES WOLSELEY,

HIBERNUS.

SOCIETAT. MED. HIB. OLIM SOCIUS EXTR.

Ad diem 12 Septembris, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

CUM PRIVILEGIO.

TYPIS GEORGII MUDIE ET FILII.

1795.

Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b31964400_0002

REVERENDO

GULIELMO WOLSELEY,

PATRI SUO CARISSIMO,

SEMPER VENERANDO,

QUI SE AMORE VERE PATERNO SEMPER

PROSEQUUTUS EST;

NECNON

EXIMIO ERUDITOQUE VIRO

ANDREÆ DUNCAN, M. D. F. R. S.

OB VIRTUTES MULTIGENAS

TUM PUBLICAS TUM PRIVATAS,

ET OB BENEVOLENTIAM VERSUS SE INSIGNEM,

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

AMORIS ET OBSERVANTIÆ

SIGNUM LEVE

SACRAS ESSE VOLUIT

AUCTOR.

CORRIGENDA.

In pagi. 3. lin. 7. *pro* vefperam *lege* vefperem.
—— 16. — 18. *pro* per utile *lege* perutile.
—— 18. — 9. *pro* fummuntur *lege* fumuntur.
—— 22. — 6. *pro* enarare *lege* enarrare.

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

DE

RHEUMATISMO ACUTO.

Auct. JOANNE WOLSELEY.

MORBUS hicce impetum plerumque facit autumnalibus vernisque temporibus, et quolibet etiam anni tempore, præsertim si caloris atque frigoris mutationes subitaneæ et crebræ sint.

Apud omnes compertum est, hunc morbum in frigidioribus terræ partibus potissimum grassari. A pubertate ad annum trigesimum quintum plerumque, et interdum etiam multo serius, ut præclarus Gregorius testatur, adoritur, et utrum-

A que,

que ſexum invadit; fœminas vero, ſecundum Home, profeſſorem celeberrimum, ſæpius quam mares. Omne temperamentum, ſed, præ cæteris, ſanguineum afficitur.

Rheumatiſmus interdum ſubito incipit, et languoris et frigoris ſenſum imprimis experitur ægrotus; his, calor, anxietas, ſitis, atque potiſſimum pulſus frequens, plenus, et durus brevi ſubeunt. Vertigine, nauſea, interdum et reſpiratione difficili infeſtatur, appetitus fit proſtratus, et omnigenum fere cibum faſtidit; areſcit lingua, et albeſcit; progrediente febre, doloribus excruciantur rheumatici in variis corporis partibus; ſed præcipue in articulis artuum majoribus. Hi dolores, vagi, acuti, et lancinantes ſæpe exiſtunt, et nonnunquam antea ſentiuntur, quam ulla pyrexiæ ſigna accedunt.

Articulus unus ſolum eodem tempore plerumque afficitur; ſed, ingraveſcentibus ſymptomatis febrilibus,

febrilibus, magis intenſi fiunt dolores, et plures corporis articuli ſimul doloribus exercentur, qui, per apaneuroſin tendineam, tractum muſculorum plerumque ſequuntur; remittentes in una junctura, poſtea vero in alia ingraveſcentes, Aliquoties hos dolores, motus minimus, vel compreſſio maxime auget. Veſperam verſus, pyrexia violentior fit, et locum ſuum tunc præcipue mutant dolores, et ægrotus noctem inſomnem et inquietam plerumque agit, doloribus, calore lecti vel alio externo, auctis.

Artubus aliquamdiu dolentibus, tumor et rubor ſupervenire ſolent; illi autem non ſemper dolores levant. A principio hujus affectionis, ſudore viſcido frigido, raro univerſali, aut ſymptomatum levamen inducente, ſuperficies humectatur; hoc enim tempore articuli affecti ſicci ac rigidi manere ſolent. Humor attamen copioſus per cutem elicitus maximum levamen ſæpe attulit.

Per

Per totum fere morbi decurſum urina, colorem ſubrubrum induit. Ineunte quidem morbo, nihil demittit; ſed, morbo progrediente et febre remittente, ſedimentum furfuraceum deponit. Alvus pro maxima parte conſtipata eſt.

Sanguis, e vena miſſus, cruſtam coriaceam oſtendit; quoniam vero hoc variis ex rebus, quæ, dum ſanguis fluit, accidunt, pendet, non poſſumus certe exinde judicare, utrum urgeat inflammatio, vel ſi venæſectione iterata opus ſit. Sed de hoc ictibus arteriarum et doloribus præſentibus judicabit medicus. Rheumatiſmus ab omnibus aliis morbis inflammatoriis multum diſcrepat, præcipue autem quod in ſuppurationem vix aut ne vix quidem deſinit. Nonnunquam autem liquores gelatinoſi, tendinum in vaginas, effunduntur; aliquando etiam accidit, quod, ceſſante pyrexia, ſimul cum tumore et juncturarum rubore imminuto, dolores tamen haud raro evaneſcunt, et partes affectæ rigidæ,

frigidæ,

frigidæ, atque aridæ fiunt. Morbus tunc Rheumatifmi Chronici nomine dignofcitur.

Rheumatifmus, quanquam ægrum fato fuccumbere raro cogit; attamen, quoniam eum plerumque comitantur dolores graviffimi, medici attentionem jure fibi vindicat. Cullenus venerandus, fequentibus verbis, hunc morbum accurate depingit.

MORBI DEFINITIO.

"Morbus ab externa, et plerumque evidente
"caufa. Pyrexia, dolor circa articulos, muf-
"culorum tractum fequens, genua et reliquos
"majores, potius quam pedum vel manuum
"articulos, infeftans, calore externo auctus."

DIAGNOSIS.

Morbi præcipui, qui rheumatifmum referunt, funt podagra, fyphilis, et fcorbutus; ab his dignofci

nofci poteft, fi fymptomata eorum rite perpendamus. Podagra fæpiffime eft morbus hæreditarius. Rheumatifmus raro, forfan nunquam, labem hæreditariam agnofcit. Podagra ætate provectiores plerumque adoritur, et fæpe cum doloribus ventriculi, vel partium internarum aliarum affectionibus alternat. Rheumatifmus hifce nuper memoratis fymptomatibus nunquam ftipatur, et provectos ætate rariffime corripit. Fæminæ a rheumatifmo frequentius invadi dicuntur, at podagra mares præcipue adoritur. Rheumatifmus artus majores, et fuperiores fæpius, quam inferiores, occupat, et tractum mufculorum dolores plerumque fequuntur; dolores vero arthritici frequentiffime in articulis minoribus fentiuntur, et arthritide laborans morbi acceffionem fæpe referre poteft intemperantiæ. Rheumatifmus vero frigori aut humiditati applicatæ tribuendus.

Rheumatifmus a lue venerea difcrepat, quod, hac præfente, dolores altius fixi et offium mediam

partem

partem occupantes, ægrum vexant; ſed, in rheumatiſmo, in muſculis tantummodo et tendinibus ſentiuntur, et per tactum minimum ſæpe augentur, quod ſyphilitide conflictanti nunquam accidit. Si denique bubones, vel exoſtoſes, vel ulla alia ex ſymptomatibus venereis, in Culleni definitione videnda, obſerventur, tunc ſyphilitidem verè præſto adeſſe judicemus. Rheumatiſmus quoque facillimè a ſcorbuto diſtinguitur. Præter enim violentos dolores, quibus ſcorbuto implicatus corripitur, etiam adſunt manifeſta ſigna fluidorum putreſcentiæ, torpor et debilitas inſolita, et circa oculum circulus lividus, ſtomacace, et anima fætida; maculæ ſæpe adſunt, in cute coloris varii, ſed plerumque liveſcentes; urgente autem rheumatiſmo, tales efflореſcentiæ, vel fluidorum putredo nunquam apparent. Notas, quæ rheumatiſmum acutum a chronico, ſeparant, offerre omiſi, utpote ſuperfluum exiſtimans; medicinæ enim qui ſtudio unquam animum dedit, alium ab altero facile dignoſcere poteſt.

CAUSÆ

CAUSÆ REMOTÆ.

In *Prædisponentes* et *Occasionales* jure dividuntur.

1. Causæ prædispositionem ad morbum producentes multiplices variæque sunt. Eos frequentius invadit rheumatismus, quibus habitus est corporis sanguineus, plenusque. Hanc prædispositionem autem inducunt quietum vitæ genus, diæta nimis lauta et nutriens, indulgentia soporis nimia, evacuationes solitæ subito suppressæ, veluti perspirationis et mensium; unde forsan fœminæ sæpius, quam viri, hoc morbo laborant. Huic quoque referenda est sanguinis missionis periodicæ omissio, vel hæmorrhagiarum consuetarum cessatio. Qui venerem nimis assidue colunt, cæterisque causis debilitantibus sese dederunt, ad hunc morbum etiam proclives esse feruntur. Præter has causas, acuti morbi sæpe invadentes, cor-

pus

pus debilitatum vel irritabile proclive ad rheumatismum reddunt.

Causæ excitantes præcipue sunt frigus, et humiditas corpori, potissimum nimis calefacto, admota. Morbum inducunt crebræ cæli mutationes; hinc vere, et autumno sæpissime adest. Frigus diu continuatum pro causa prædisponente sola haud habeatur; hyeme enim, raro mortales exercentur hoc morbo, quoniam tunc temporis constrictio solidorum adest; verno autem calore excitatur, qui vasa sanguifera stimulat, plusquam solidorum constrictionem amovet.

CAUSA PROXIMA.

Quandam fluidorum conditionem, veluti lentorem, aut sanguinis viscidit atem, causam hujus morbi proximam esse censebant multi; dum

alii eam fluidorum acrimoniæ tribuerunt. Has autem opiniones refellit Cullenus venerandus. Ille censet in spasmo vasorum extremorum eam constare, dum, eodem tempore, arteriarum renixus, per totum cursum, intenditur. Prohibet hæc constrictio liberum per vasa sanguinis transitum. Ad hoc impedimentum amovendum spasmus exoritur, qui, cum omni corporis parte cito communicatus, symptomata febrilia, veluti inflammationem, dolorem, &c. infert.

QUORUNDAM SIGNORUM RATIO.

Symptomatum, veluti doloris, ruboris, tensionis et tumoris explicationem afferre haud difficile erit; spasmus enim vasculorum extremorum, circulationem sanguinis expeditam impediens, vasorumque actio, ob hanc causam vehementer aucta, exhalantia dilatant, a quorum extremitatibus, effusio in telam cellulosam fit; hinc oriuntur dolor, tumor, et rubor. Calor semper etiam præsto est, qui ab adaucta actione vasorum sanguiferorum

rum pendet. Fibræ mufculares folito rigidiores effe obfervantur, et hæc rigiditas caufa videtur effe, quare dolores mufculorum tractum fequuntur, et ab uno artuum ad alterum fæpe migrant.

PROGNOSIS.

Auctores fere omnes, rheumatifmi terminationem raro funeftam evadere concedunt; haud defunt autem exempla, quanquam rara, hominum, quibus lethalis hic morbus fuit. Interdum enim, omnia medicamenta inutilia inveniuntur, et morbus, vice acuti, fit rheumatifmus chronicus. Nonnunquam in artuum rigiditatem, anchylofin vel paralyfin definit. Si ægrotus florente ætate fit, habitufque corporis, intemperantia vel prægreffis morbis, haud debilitatus fit, et fymptomata febrilia fint levia, cum pulfu haud celeri, et pleno; fi fudor copiofus et calidus, vel naturaliter

ter, vel ex medicamentorum uſu, profluat, et dolores ſimul remittant; ſi urina multum ſedimenti lateritii deponat; et hæmorrhagia, diarrhæa, vel cutis efflorefcentia, urgentibus pyrexiæ ſignis, miteſcant; ſi denique lingua nitida et humida ſit, et æger placidis noctibus fruatur, eventum felicem promittere liceat.

Contra vero, ancipitem exitum portendunt ſymptomata inſequentia: *viz.* Cum morbus diu perſtiterit, et ægroti vires prius fuerint fractæ; cum dolores uni articulo affixi maneant, et æger ætate provectus ſit. Reſolutione frequentius, ſuppuratione raro, gangræna aut ſphacelo rariſſime, finitur rheumatiſmus. Morbus denique hicce, et doloroſus et pervicax, quamvis necem raro inducens, habendus eſt.

MEDENDI

MEDENDI METHODUS.

Cum ex fupradictis, et ab experientia medicorum, fatis manifeftum fit, rheumatifmum inter morbos inflammatorios jure haberi, duo medendi confilia neceffaria effe videntur.

I. Diathefin phlogifticam totius corporis, fed præcipue partis affectæ, tollere.

II. Spafmum, vafis extremis inductum, folvere.

CONSILIUM PRIUS.

Hoc in regiminis antiphlogiftici adminiftratione imprimis conftat. Hoc autem perficitur omnibus evitandis, quæ genus nervofum irritant, vel quæ pulfus arteriarum crebriores reddunt.

Studium,

Studium, cogitatio multa, aut negotia vitanda ſunt. Situs horizontalis, quoniam muſculi tunc minus exercentur, anteponendus eſt. Calor, lux nimis vivida, et magnus ſtrepitus ſedulo vitanda ſunt. Diæta minimum ſtimuli præbens eligenda eſt. Cibus itaque ex regno animali vitandus, et vice ejus vegetabilis utendus. Potus aromatici vel ſpirituoſi ægro haud offerantur, et tenues, et aquoſi tantummodo præbeantur. Cavendum quoque de cruda vel indigeſta materie in ſtomacho, vel a fœcibus diu in inteſtinis retentis, quæ omnia ſtimulant, ſed præcipue, cum corpus morbis inflammatoriis laborat. Sanguinis miſſio, et medicamenta cathartica huic conſilio præcipue reſpondent. Syſtematis ſanguiferi optime imminuitur actio miſſione ſanguinis, quoniam a fluidis contentis vaſorum tonus, maxima ex parte, pendet. Initio morbi, ſanguis copioſe mittendus eſt. In quantitate detrahenda ſymptomatum violentia dirigamur; ſed memoria tenendum eſt, per quatuordecim vel ſexdecim uncias, uno

tempore

tempore miſſas, ſigna febrilia multo magis levari, quam per eandem aut majorem quantitatem, diverſis temporibus. Sanguis pleno rivo fluat; nam tonus imminuitur ſubitâ detractione, et, pro ratione quantitatis, dato tempore, extractæ. Quantitas mittenda, ex variis inflammatoriis morbi ſignis, *viz.* frequentia et acuta pulſatione arteriarum, dolorum violentia, ægri temperamento, &c. ediſcatur; ſi enim, poſt venæ ſectionem primam, ſymptomata violenta nihilomninus perſtent, ſanguis iterum educendus eſt. Etſi, in hoc morbo, venæ ſectio generalis adeo apta videtur; tamen, ne nimia quantitas detrahatur, cavendum eſt. Hoc enim convaleſcentiam tardam, rheumatiſmum chronicum, vel anaſarcam inducere ſæpe ſolet. Homo adultus ſanguinis miſſionem, ad quantitatem quatuor vel quinque librarum, tot dierum ſpatio, tute plerumque ferre poteſt. Sanguinis ſpecie non ſemper dirigamur, quod ad quantitatem mittendam. Sanguis enim elicitus, pelliculam albidam oſtendens, ſignum ſæpe fallax eſt, et

venæ

venæ ſectionis repetitionem non indicat, niſi alia ſymptomata, veluti pulſus frequens, et validus, et dolor ſimul concurrant. Si, poſt venæ ſectionem generalem, dolor reſtet, et, ni evacuatio ulterior mala ſit, topica venæ ſectio adhibeatur, vel per hirudines, aut cucurbitulas cruentas. Hæ illis anteferendæ ſunt, quia citius et certius ſuo funguntur officio.

Veſicatoria etiam, eodem propoſito, imponantur, vel linimenta affricentur. Cathartica fluidorum quantitatem minuendo, procul dubio, utilia ſunt; ſed tantum incommodi ab eorum uſu oritur, et, ob corporis motum, inter alvum evacuandam, dolores adeo ingraveſcunt, ut ab iis omnio abſtinere fortaſſe melius foret. Attamen, quoniam in hoc morbo ad ſtatum aſtrictum alvus plerumque proclivis eſt, eam igitur modice ſolutam tenere per utile comperietur. Huic vero propoſito optime inſervient enemata emollientia. Si hæc effectum deſideratum non præſtent, cathartica leniora, veluti cryſtalli tartari, vel

tartarus

tartarus solubilis, &c. usurpentur. Hæc, irritationem amovendo, sæpe valde salutares producunt effectus.

CONSILIUM SECUNDUM.

Spasmum vasis extremis inductum solvere.—Medicamenta, quæ ad hoc efficiendum valent, ea sunt, quæ fluida ad vasa extrema dirigunt. Diluentia, sales quidam medii, omnia vomitionem aut sudorem cientia, nunc, cum fructu, usurpantur.

1*mo.* *Diluentia.*—Sudore fluente, copiosius dentur, quippe quæ hunc magis eliciant etiamnum. Ad hunc finem, juscula dilutiora, decoctum avenaceum, et alia similia, apta videntur. Ægrotus ad sudorem accinctus esse debet, *viz.* cum pannis laneis confertim tegitur, et in lecto ponitur. Ra-

tio, cur laneæ veſtes aliis anteferuntur, eſt, quod diaphoreſin promovent, et humiditatem abſorbent.

2*do*, *Sales medii*.—Hæc medicamenta vim refrigerantem poſſident, ſpaſmum vaſorum extremorum tollunt, et cutis ab eorum uſu, haud multo poſt, calida fit; ſudorque poſtea fluere incipit. Ob hoc, optimo cum fructu, in hoc morbo, ſæpe ſummuntur.

3*tio*, *Emetica*, curſum humorum ad ſuperficiem eliciendo, diaphoreſin, ſæpe promovent, et calorem imminuunt. Ad hoc autem plenus vomitus nunquam aptus eſt; corpus enim nimis concutit, et dolores ſæpe iterat, et etiam effectus haud diu durant.

Sed emetica, doſibus nauſeantibus data, vaſorum extremorum actionem diutius excitant, et aliquantum ſudoris frequenter educunt. Febri-

lia

lia ſymptomata ita mitigant, atque alvum, maxima ex parte, leniter ſolvunt.

4to, Ad Medicamenta, viz. ſudorifica nunc perventum eſt, quæ ad conſtrictionem ſolvendam, ideoque ad morbum amovendum, maxime accommodantur.

Sanguinis juſta quantitate ſumpta, et diatheſi phlogiſtica imminuta, ſudor tunc, cum fructu, elici poteſt variis medicamentis; optime autem pulvere ipecachuanæ compoſito, qui, doſibus granorum quindecim, tertia quaque hora ad quartam, vel quintam vicem, ſumi debetur Eximius Rutherford, pilulam, ex opio et tartaro antimoniali confectam, laudat. Regimen, ad ſudationem promovendam accommodatnm, antea memoratum, tunc obſervare opus eſt.

Sudatio ſemper excitetur medicamentis, haud ſtimulantibus, et calore quam minimo; nam,

cum

cum promovetur medicamentis irritantibus, diathesin phlogisticam multum auget, et haud paululum injuriæ systemati infert. Si, aliis partibus sudantibus, pedes non humectentur, fomentationes calidæ, lagena nempe aqua calida repleta, vel lateres calefacti, adhibeantur. Medicamenta sudantia mane danda sunt, ægerque insomnis teneri debet.

Si, remediis sudorificis applicatis, nihilominus nullus sudor appareat; sed, vice ejus, calidus fiat æger, et anxietas, cutis arida, sitis vehemens, cum capitis dolore et delirio, urgeant, tunc sudatio sistenda est. Sin autem contrarium evenit, a duodecim horis ad triginta vel quadraginta, secundum ægri conditionem vel morbi symptomata, continuetur. In paucos aliquot dies, æger ab effectibus frigoris sese defendat (quod tunc eum præcipue afficiet) in cubiculo manendo, et vestibus siccis sese velando. Cortex Peruvianus, apud multos medicos, præcipue Londi-

nenses,

nenfes, maxime comprobatur. Ego ipfe adfui, cum a celeberrimo Gregorio hic præfcriptus fuit duobus rheumaticis, quorum fymptomata inflammatoria haud valde violenta fuerant. Signa unius multo pejora reddebantur. Cortex tunc omiffus fuit, et venæ fectio et fudatio adhibita, a quibus, octodecim vel viginti dierum fpatio, convalefcebat. Alterius fymptomata, ab ejus ufu, leniora cito evaferunt, et, aliquot diebus, a dolore liberatus, abivit. Haud ita multo poft autem reverfus eft, eodem morbo laborans, et per unam venæfectionem fanatus fuit. Mea igitur opinione, chinchona non ufurpari debet, donec figna febrilia fedantur. Tunc, maximo cum beneficio, affumitur, et dolorum nocturnam acceffionem impedit debilitatemque amovet, quæ proclivitatem ad rheumatifmum chronicum vel alios morbos fæpe facit. Anodyna, morbi verfus finem, utilia quoque funt, dolores levando; et fomnum inducendo; et, in remediis fudorem moventibus, auxilia haud contemnenda fæpe inveniuutur,

veniuntur; et, teſtante eximio Duncan, opium calomelani conjunctum, remedium præſtantiſſimum, evadit; præſertim in iis, qui doloribus ſubinde recurrentibus, ab irritabilitate ſyſtematis morbo inductâ, vexantur. Alia, ad rheumatiſmum arcendum ab auctoribus memorata, hic enarare poſſem; ſed illa, ſupra recenſita, præcipue uſurpantur, et in uſum revocari debent.

F I N I S.